

S. Thomas nulli systemati morali favet

Autor(en): **Kunii, Jordanus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg**

Band (Jahr): **8 (1961)**

Heft 3-4

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761459>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JORDANUS KUNIČIĆ OP

S. Thomas nulli systemati morali favet

Vix necesse praemonere aestimamus hic de variis systematibus, quae de fundamento ac norma moralitatis agunt, minime quaestionem versari. Doctrina S. Thomae quoad tale punctum doctrinae est ipsa doctrina perennis, systema doctrinae moralis christianae. Primus inter omnes ipse Angelicus moralem christianam in aedificium theologicum inseruit, et sic moralis ipsa ad illud systema doctrinale pertinet, quod, fundamentalibus quibusdam thesibus innixum, ut organismus quidam apparet unitatemque totius scibilis repraesentat. Communicat cum parte dogmatica in unitate obiecti formalis ac subiecti, at, si illi « ideam-matrem » ut parti speciali istiusmodi aedificii theologici invenire velimus, hanc non aliam esse quam ordinem actionum humanarum, quibus homo a Deo egressus ad eundem revertitur, de facili concordabimus.

Asserentes igitur S. Thomam nulli systemati morali favere, ad illa systemata moralia mentem dirigimus, quae methodum proponunt, qua in dubiis practicis certitudo moralis practica seu prudentialis obtineri possit. Tali modo accepta systemata de solvendo uno puncto scibilis practici agunt, de solvendo nempe dubio conscientiae, ut haec certum dictamen practicum de honestate particularis actionis a nobis elicienda, ideoque de liceitate eiusdem, edicere valeat. Quod tale dubium solvere sit nomentosum, nemo est qui dubitet. Cogita in angustia positum sacerdotem, qui nescit utrum ad Breviarii recitationem teneatur, cum, infirmitate laborans, excusatum sese aestimare posse necne dubitet; cogita item in dubio irretitum illum, qui carnem manducare formidat, cum dubitet utrum dies abstinentiae sit, vel utrum iam incoepa vel terminata sit; cogita et illum debitorem, qui conscius debiti certe contracti, dubitat utrum restituerit nec amplius teneatur vel non restituerit et ad restitutionem adhuc obligatus maneat. Et bene nota agi de

dubio practico, et quidem proxime practico, nam tale precise est dubium conscientiae, dum dubia mere speculativa vel et dubia remote practica, cum ab actione longius distent et ad eorum solutionem multa et varia media extent, minus animum premunt. Et talem certitudinem quaerimus, quae, stante dubio speculativo, prudenti actioni viam aperit.

Iam a tribus saeculis innumeri de hac quaestione conscripti sunt libri, variaequae solutiones propositae. Numquid usque ad saec. XVI talis anxiosa quaestio non extiterit? Quaenam solutio dabatur? Certum est etiam tempore saeculum XVI praecedenti viros sanctos ac doctos extitisse. Hic hiatus historicus diffidentiam in ipso quaestionis ingressu parit, nam vix possibile videtur ad quaestionis positionem eiusque solutionem veteres non pervenisse, sed reliquisse posteris, ut non solum quaestionem ponant, sed eam unica propositione magica solvant. Utinam huic diffidentiae opponi possit illud: « Contra factum non datur argumentum », id est: utinam de facto systemata quae proponuntur vere solutionem convenientem animo nostro offerre possint!

Diffidentia crescit, nam moralistas discordes invenies quoad ipsam notionem systematis eiusque munus. Sunt namque quidam, qui systema ad solvendum dubium practicum conscientiae aptum identificant cum uno solo principio assumpto, dum alii, magis quasi conscii complexitatis quaestionis solvendae, de complexu seu pluralitate principiorum loquuntur. Non desunt qui, quasi perterriti, ita loquantur, ac si a systematibus solum munus solvendi dubia speculativa expectarent, aliis magis fidenter iisdem systematibus saltem dubia remote-practica solvenda committentibus. Audaces quoque invenies, qui systematum ope dicunt nos posse solvere dubia proxime practica et quidem in quolibet casu et in qualibet materia.

Fundamentum diffidentiae reperies etiam, si de extensione systematum certificari velis. Valor systematum extenditur, dicunt aliqui, tum ad legem naturalem tum ad legem positivam, quod alii aegre ferentes, illum ad solas leges positivas restringunt. Utrum, insuper, solum ad dubia facti an etiam ad dubia iuris? Ad omnia haec systemata deberent modum facilem, promptum, securum praebere, ut conscientia ad dictandum procedere possit, at non desunt qui tot ac tantas praecautiones adhibere coguntur, ut nec docti nec indocti, nec laici nec sacerdotes systematibus sic et simpliciter fidere possint, ex quo fit, ut systema, quod tamquam dux fidus ac expeditus ducere debuisset hominis conscientiam ad solvenda dubia, convertatur in dubiosum et obscurum labirinthum, vel caecum qui caecum ducit.

Discordia theologorum non cessat nec tunc quidem, cum de mente S. Thomae aperienda tractant. Pro aliquibus S. Thomas est tutiorista theoreticus, pro aliis probabiliorista, nec desunt qui S. Thomam fluctuantem inter tutiorem ac benigniorem partem relinquunt. Volunt quidam S. Thomam concedere quidem valorem systematibus, at ad prudentiam quoque recurrendum. Maxime autem interest notare illos, qui S. Thomam probabilismi inventorem saltem quoad principia proclamant, unde Medina, secundum hos auctores, probabilismum quidem proposuit, eius tamen solutio quaestionis est ad mentem S. Thomae, et S. Doctoris principia « nedum obstent, probabilismo positive favent »¹.

Ut nostram sententiam statim quisque audiat, haec est : S. Thomas nulli systemati qua tali favet, sed omne systema, quod uniformi formula casus omnes solvere praetendit impossibile aestimat, casus vero conscientiae primo et per se prudentiae, ergo virtuti solvere committit, nam virtuosus est regula et mensura humanorum actuum. « Et in hoc plurimum differt virtuosus ab aliis, quod *in singulis operabilibus* videt, quid vere sit bonum, quasi existens regula et mensura omnium operabilium »².

Ante omnia igitur videndum est quid S. Thomas de principiis sic dictis « reflexis » sentiat, nam talia principia regunt systemata, speciatim quid de principio reflexo probabilismi. Estne verum dicere S. Thomam haec principia ignorasse, an potius dicendum S. Doctorem illa ut valida primo et per se pro foro externo seu iudiciali aestimavisse, et pro foro conscientiae primo et per se ad aliud criterium appellasse ?

I. Principia reflexa seu formulae iuridicae

Assueti sumus terminum « principia » dignitatibus reservare, et hae « dignitates » – « principia » concipimus tamquam notissima, firmissima, ita ut circa illa non contingat homines mentiri sive errare, decipere nec decipi, concipiuntur enim ut fundamenta essendi et cognoscendi. Quapropter cum principiis sic dictis « reflexis » tanta dignitas, secundum nostram opinionem, non videatur tribuenda, potius illis terminum « formulae iuridicae » dandum aestimamus, vel cum additione, id est : « principia iuris ».

Cordati theologi moderni insistunt in hoc, ut etiam haec nostra quaestio de modo acquirendi certitudinem sufficientem ad licite agendum

¹ REGATILLO-ZALBA : Theol. Mor. Summa, vol. I, num. 11 et 268.

² S. THOMAS : in Eth. ad Nicomachum, lib. III, lect. 10, ed. Pirotta n. 494.

in dubiis conscientiae expurgetur a iuridismo. Juridismus enim seu formalismus et minimismus opponuntur theologiae morali, quae est scientia salutis, « motus » in Deum, qui scrutatur corda, et cui tendere debemus semper maiori cum conatu. Proh dolor, non obstante bona voluntate multorum, nobis videtur theologiam moralem in hac quaestione non sese liberasse ab invasione iuris, a dominio iuridismi.

Auctoribus mediæ aevi ab aliquibus in culpam vertitur, quod regulas iuris ad materiam moralem non applicaverint, cum ratio intrinseca iuris et moralis eadem esse videatur. Quod non fecerunt doctores scholastici, fecit Suarez, qui primus videtur haec principia iuris a iurisprudencia in theologiam moralem transtulisse. Principia iuris facta sunt principia agendi, et quae ordinata erant ut ordinem externum regerent, forum quoque internum conscientiae regulare coeperunt. Cum talia principia iuris per se nota non sint nec directam certitudinem parere possint, saec. XVI^o iam in scholis de certitudine reflexa sermo fit. Ergo factum : ex suppositione, eandem intrinsecam rationem esse ordinis iuridici et ordinis moralis, principia iuris assumpta sunt ut principia seu normae agendi, luce quorum dubium conscientiae solvi coepit, quod significat, certitudinem moralem in suppositiones et praesumptiones ac favores iuris de facto resolvi coepisse. Loco adagii « In dubiis tutius est agendum » praevaluit aliud, v. gr. : In dubio melior est conditio possidentis³.

a) *Utriusque ordinis non eadem ratio*

Quod *ultima ratio* et *fundamentum* ordinis moralis et ordinis iuris positivi *eadem* sit, extra dubium versatur. Ius namque subiective consideratum a lege nascitur, vera lex ad legem aeternam ut supremam normam reducitur et vi eius obligat. Quo magis tamen ad particularia descenditur, seu *proxime et immediate, diversitas* utriusque ordinis luce clarius apparet. Quo magis enim a primo principio receditur, in quo perfectissima unitas invenitur, nihil mirum quod maior diversitas et variatio perfectionum in creaturis inveniatur. Ordinis igitur legis et iuris positivi in exercitio seu in applicatione et determinatione non eadem ac ordinis moralis integraliter sumpti, sed alia, immo diversa ratio observatur.

³ F. TER HAAR : De triplici statu mentis. Ang. 18 (1941) 24 ; cfr. A. LANZA : Tholog. mor., vol. I, num. 372.

Adducamus aliquas rationes ad huius rei ostensionem : ordo moralis est ordo actionum humanarum in ultimum finem humanae vitae, ordo autem legis et iuris positivi ad finem particularem terminat, terrenae felicitati insistit, a fine ultimo praescindit, a quo ordo moralis praescindere nequit ; ordo moralis actionem humanam in tota universalitate comprehendit, nam ordini morali subditus est omnis homo sive privatus sive activitati sociali incumbens, dum ordo legis et iuris positivi ad vitam et activitatem sociale restringitur, unde ordo iuridicus ut pars integralis ordinis moralis habetur, et quae conveniunt uni parti integrali, non necessario aliis partibus convenire dicenda sunt ⁴ ; insuper ordo moralis legis et iuris naturalis plura iura et officia independenter ac supra leges et iura positiva comprehendit, unde et ordinis moralis magis extensa obligationis vis ; ordo moralis, praeterea, rectificat etiam internas actiones, ordo iuridicus circa exteriores res et actiones versatur etc.

Dicamus ergo ordinem moralem homines unire in uno fine ultimo, praesertim ope virtutis caritatis, quae unitati insistit, iustitia autem, qualis inter mortales existit, divisioni, strictae determinationi potius incumbit, ex quo fit ut non solum iurium conflictus accidat, sed, ut, quae recta esse possunt in materia iustitiae, inhonesta possint esse in materia aliarum virtutum. Inter ordinem moralem igitur et ordinem iuris positivi non eadem ratio, sed oppositio accidere potest ⁵. In quantum igitur iustitia regit relationes inter homines qui opponuntur, dividuntur, bonis finitis et exterioribus occupantur, illa quasi exorbitat ex superioribus rationibus ordinis moralis, nam « elle tend vers la division du tien et du mien, vers l'égalité stricte de ce qui est dû et rendu, vers l'objectivation, la netteté des situations, la détermination d'un seuil minimum au-dessous duquel on ne peut descendre sans provoquer la réaction de défense, c'est à dire la rupture violente des liens d'amour-charité et les revendications de l'autre » ⁶.

Eadem veritas clarius in exemplis videbitur. Habes v. gr. proprietarium domus, qui conformiter principiis iuris positivi, hieme e domo expellit familiam pauperem, imparem solvendi pretium locationis domus, quod iuri quidem positivo conforme, altioribus criteriis vero moralibus difforme censetur, ergo principium iuris nequit formare conscientiam in ordine morali ; item iudicem habes, qui scit accusatum vere esse reum,

⁴ L. LEHU : *Phil. mor. et soc.*, Parissis 1914, p. 309 ; S. THOMAS, II-II, q. 58, art. 8-9.

⁵ L. LEHU : *ibid.*

⁶ G. GILLEMAN : *Le primat de la charité en Theol. mor.*, p. 301.

at ille iudicium fert secundum allata et probata, reumque absolvit, procedendo quidem principiis iuris positivi conformiter, sed non conformiter veritati nisi in foro iuridico, iuxta certitudinem iuridicam, quae non iisdem criteriis gignitur ac illa moralis; habes praeterea furem, qui obiectum vere furatus, at in foro iudiciali absolvitur ob defectum probationis iuridicae, tamen principium iuris nequit illum absolvere in foro conscientiae, sed ad reparationem damni vel restitutionem obiecti non obstante absolute iudiciali adhuc tenetur, quia moralis ligat in foro etiam invisibili; adhuc, habes illum qui orationem legaliter cum sola attentione externa rite absolvit, sed qui eodem tempore in conscientia peccat coram Deo utpote voluntarie distractus, quia actio moraliter considerata aliis criteriis regulatur quam eadem ab hominibus seu iuridice considerata; adhuc, habes illum qui occasione devaluationis monetae taliter deberet creditori debitum contractum restituere, ut denuo sufficiens esset ad acquirendam rem, cui antea ad id par erat, iuri tamen positivo conformiter debitum extinguere potest cum moneta corrente, quamvis valor eius sit deminutus, unde talis actio contrariatur legi aequivalentiae in eadem materia iustitiae et insuper aliis criteriis moralibus non videtur conveniens v. gr. gratitudini; addas insuper criterium ad iudicandum de valore iuramenti pro foro iuridico principale esse formulam iuratoriam, item pro votis, pro ordine autem morali animus iurandi ut principale criterium assumitur; finaliter, ut alia innumera omittamus, possidentem de facto rem et gaudentem prioritatem iuris non eo ipso legitimum possessorem putes coram Deo, in conscientia, nam fortuna facti maxima iniuria esse potest (Denz. 1761), etc.

Ordo igitur actionum humanarum in campo iuris positivi aliis principiis imponitur, aliis in campo morali, qui est ordo tendentiae in Deum praesertim sub influxu caritatis, quae minimismo legali contenta esse non potest. Certitudo quae ad agendum in foro iuris positivi sufficiens aestimatur, non semper pro foro morali sufficiens est. Cum iudici quoad veritatem facti adhuc dubium permanet, quod deponere nequit, apertam viam habet ad certitudinem perveniendi, certitudinem iudicalem, nam « lex ipsa, et particulatim ordinatio causarum iudici praebent regulas obligatorias circa modum procedendi, quas inter praesumptiones iuris sicut et favores iuris gaudent momento decisivo »⁷. Lites enim oportet terminare, ordo socialis oportet evolvatur, ad quod iudex fori iuris positivi habet suas « regulas obligatorias », quas decisivas

⁷ Pius XII: Allocutio die 1. X. 1941, AAS 34 (1942) 338-343.

pro foro conscientiae regulando nequaquam vocare possumus. Actio fori civilis, principiis iuris positivi conformis, in eodem foro et pro eodem foro bona dicenda est, si ad principia iuris resolvatur, sed supra haec superior norma, immo in ipsis applicandis profundior ac intimior norma quaerenda est, ad quam actio, ut ad ordinem moralem pertinens, reducenda est.

Forum enim internum conscientiae directe et immediate Deo subicitur. Deus est cui nihil absconditum manere potest, scrutatur renes et corda. Veritas obiectiva cognoscenda et profitenda, quia et Deus est veritas ipsa, quem praesumptiones ac favores iuris fallere nequeunt. Intentio interna est inspicienda (Math. 6, 1), formalismus externus abiiciendus (Math. 7, 21). Intentio illuminat vel obtenebrat totam hominis activitatem, illam autem Deus videt in abscondito (Math. 6, 22 ; 6, 4). Solum desiderium, absque externo actu, adulterium natum est causare (Math. 5, 28). Praebere percutienti alteram quoque maxillam supra principia iuris positivi est (Math. 5, 39). Volenti tollere tunicam dimittere et pallium nec iustitiae nec ordinariae caritatis, sed superioris perfectionis, quam moralis ordo prae oculis habet, vox est (Math. 5, 40). Non ad oculum, non hominibus, sed Deo per conscientiam debitor est (Eph. 6, 6) homo, ideoque altioribus quam formulis iuridicis certitudinem conscientiae obtinere debet, principiis dicimus, quae a Deo, non ab hominibus inventa proponuntur. Principia iuris positivi respiciunt leges positivas, unde de principio probabilistico observat Merkelbach O. P. : « Cum autem corpus iuris contineat leges positivas, mirum non est si principium non respiciat respectu legis naturalis »⁸. Valor igitur potissimi principii reflexi negatur pro foro conscientiae prout legem naturalem includit, et quod de principio vel formula « Lex dubia non obligat » dictum est, de aliis quoque dici potest, v. gr. de illo : « Melior est conditio possidentis ». Talia principia iuris directe ad ordinem iuridicum pertinent, externum forum attingunt, certitudinem iuridicam gignunt, dubia iuridica solvunt, coram hominibus absolvunt, sed nequeunt assumi ut normae, quae natae sunt ordinem in conscientia coram Deo primo et per se constituere et hominem primo et per se certum coram Deo facere. Hoc autem ex eo provenit, quod intrinseca ratio ordinis iuris positivi et ordinis moralis in tota sua latitudine, qualem conscientia prae se habet, non est eadem.

⁸ B. H. MERKELBACH OP : Summa Theol. mor., ed. 1949, vol. II, p. 990.

b) Nec haec diversitas S. Thomam latuit

Non difficile est invenire apud S. Thomam textus, ex quibus clare apparet diversam rationem et methodum ordinis iuris positivi et ordinis conscientiae, totum ordinem moralem applicantis, illum non latuisse. Omnium forsitan expressior textus habetur in Quodl. IX, q. 7, art. 15. Quaestio agitabatur: utrum sacerdoti, qui sine cura animarum est, licitum sit plures praebendas habere an non. S. Thomas duplicem rationem seu methodum solvendi quaestionem seu perveniendi ad certitudinem assignat. Solutio quaestionis, rectitudo actionis, dicit, iudicari debet a theologo, quatenus spectat ad ius divinum et ad ius naturale – en forum conscientiae, certitudo coram Deo! –, sed eadem quaestio solvitur seu rectitudo actionis iudicatur a iuristis, prout pertinet ad ius positivum, si ius positivum de quaestione aliquid determinaverit.

S. Thomas procedit ut theologus, ut moralista, praeoccupatus primo et per se, ut ordinem in actionibus ad finem ultimum ponat, ut certitudinem coram Deo habeat, ut tranquillitatem conscientiae internae et non solum in ordine externo obtineat. Ideoque S. Doctor non recurrit ad principia iuris positivi, ad formulas iuridicas, ad praesumptiones ac favores iuris, sed ad doctrinam de actu humano. Actus humanus semper spectandus est tum secundum obiectum tum secundum multiplices circumstantias, utpote quae actui humano specificationem dare possunt et illum reddere licitum vel illicitum. Ut igitur dictus sacerdos possit habere plures praebendas, oportet ad hoc habeat « rationem sufficientem » et « rectam intentionem ». Si haec recta intentio deest, etiam si ius positivum permiserit, illicitum tali sacerdoti esset plures praebendas habere. Quae ad ius positivum spectant, ab homine statuuntur, ab homine dispensari vel mutari possunt, sed quaecumque dispositio iuris positivi intervenerit, haec dispositio non aufert ligamen iuris naturalis. Forum conscientiae latius patet quam forum iuris positivi. Ut actio sacerdotis sit recta, oportet adsit et « ratio sufficiens » et « recta intentio », nam bonum ex integra causa et malum ex quocumque defectu accidere potest. Si vero ratio sufficiens et recta intentio adsunt, tunc dicto sacerdoti licitum esset etiam contra ius positivum agere. Moralistae officium est quaestionem quoad rectitudinem actionis coram Deo solvere, illius est ante omnia conscientiam in tuto ponere, alio ergo criterio certitudo obtinenda quam pro foro iuris positivi, quod in lege ab hominibus lata fundatur. Ius enim positivum nec dat, nec minuit, nec aufert robur iuri

naturali⁹. Certitudo, quam dictus sacerdos, ope principio iuris gignere potuerat, coram Deo nulla erat, si intellectus eiusdem sacerdotis principio « rationis sufficientis » et voluntas principio « rectae intentionis » non fuerunt ornati.

Insuper, scrupolose quasi S. Thomas insistit ne methodus iuris positivi primario decisiva in foro conscientiae seu coram Deo assumatur. Exemplum habes in quaestione de solemnitate voti. S. Thomas concipiebat votum ut sanctificationem, consecrationem, et hac peracta, nullum ius positivum eandem, manente re, tollere poterat. Concedamus S. Thomam rem partialiter seu unilateraliter inspexisse, at concedamus pariter, data et non concessa veritate praemissae ab eodem S. Doctore assumptae, quam merito vehementer in iuristas invexerit dicendo illos « ignoranter » dispensationis possibilitatem defendere¹⁰, quia ius positivum nequit derogare iuri naturali et divino, sed ratio a S. Thoma allata et pro praemissa assumpta potiori ratione, non violentia iuris vincenda erat, sicut theologum decet, qui de ordine ad Deum et non de ordine ad homines primo occupatus apparet.

Adhuc, ubicumque occasio se praebebat, S. Thomas res iuridice tractandas iuristis reliquit¹¹. Quaerendo v. gr. utrum dubium sit in meliorem partem interpretandum, illud dicit solvendum non appellando ad principia iuris positivi, dicamus ad principium iuris « In dubio standum pro quo stat praesumptio », sed ad rationem sufficientem et ad principia iuris naturalis appellat dicendo : « Hoc ipsum quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei et contemnit ipsum »¹². Caritas et non principium iuris, ergo virtus, non formula theoretica exigit, ut de proximo bonam opinionem habeamus, nam iudicando hominem malum iudicamus contemptibilem, iudicando vero bonum, iudicamus honorabilem. Qui igitur in ordine morali seu in foro conscientiae certitudinem acquirere studet, ad alia principia quam ad principia iuris positivi recurrere debet, ad rationem sufficientem, ad debitum virtutis etc.

Ulterius et profundius procedit S. Thomas quam ut praesumptionibus et favoribus iuris contentus maneat. Moralista debet cognoscere veritatem practicam, et omnis homo illam debet acquirere certitudinem

⁹ II-II, q. 60, a. 5 ad 1.

¹⁰ S. THOMAS : II-II, q. 88, a. 11.

¹¹ Cfr. R. A. ARBUS OP : L'esprit du Droit romain et l'esprit de saint Thomas, Ang 34 (1957) 33-46, 260-275, 35 (1958) 269-299 etc.

¹² S. THOMAS : II-II, q. 40, a. 4.

moralem, quae ipsum esse veri exprimit, at ad hoc necessarium est interpretari unumquodque secundum quod est, seu : « Unusquisque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet, secundum quod sunt »¹³, quia, textum assumit et prosequitur Pius XII : « Veritas tantum valet quantum valet esse et existere ». Sine hac conformitate cum re obiectiva veritas non est lex iustitiae, et homo eget iustitia, quae est veritas. « Vultus iustitiae », ut verbis Pii XII utamur, « tranquillus » reddi nequit nisi veritatem obiectivam attingendo, quod non fit sistendo in certitudine, quae primario in praesumptionibus et favoribus iuris fundatur, sed debitum hominis est veritatem obiectivam cognoscere et media apta, fini consequendo proportionata, adhibere. Istis mediis non adhibitis homo peccat directe vel indirecte, exponendo se periculo peccati, a quo peccato non excusatur recurrendo ad praesumptiones et favores iuris.

Praeterea, cum S. Thomas disputat de modo procedendi iudicis, casu quo inter testimonium actoris et rei discrepantia intercedat, et ambo sint dignitate aequales, non appellat simpliciter ad formulam : « Favendum reo », sed criterium ad agendum ex moralibus assumit, nempe : « Facilior debet esse iudex ad absolvendum quam ad condemnandum »¹⁴, quod ex consideratione humanae fragilitatis et ex exemplo divinae misericordiae eruitur. Non in omni casu reus est absolvendus, sicut infert formula iuridica semel pro semper immutabiliter statuta, sed secundum prudentiae dictamina, consideratis omnibus circumstantiis, prout ordo moralis exigit. Determinismus seu fixismus iuris positivi prudentiae manifeste opponitur.

Item, in iudicio ferendo de omnimoda levitate materiae in moralibus seu de inanitate dubii negativi iuristae dubium solvunt appellando ad principium : « Melior est conditio possidentis », vel : « Lex dubia non obligat », sicut aliqui faciunt¹⁵, at S. Thomas praebet criterium ex moralibus assumptum, dicendo nempe talem parvitatem materiae ad finem ultimum obtinendum nihil efficere¹⁶. Parum vel multum, utile vel inutile, conveniens vel inconveniens moralista accipit per respectum ad summum valorem, qui est ultimus finis attingendus, iurista sistit in magis proximis, immediatis, ex ordine iuridico desumptis criteriis, quae veritatem obiectivam et rectitudinem conscientiae non necessario inferunt.

¹³ II-II, q. 60, a. 4 ad 2 ; PIUS XII : Allocutio citata [adn. 7].

¹⁴ S. THOMAS : II-II, q. 70, a. 2 ad 2.

¹⁵ MERKELBACH : op. cit. [adn. 8] vol. II, num. 84 ; GURY SI : Casus, vol. I, 8 ad 3.

¹⁶ S. THOMAS : I-II, q. 14, a. 4.

Tandem, ut alia omittamus, consideremus reum in tribunali. Iure hodierno, reus crimen a se commissum fateri non tenetur, immo potest se innocentem declarare, nam iudicialiter debet de crimine convinci, quam praxim CIC universaliter concedit (can. 1743, § 1 et 1947). Concedamus igitur reum coram hominibus innocentem declaratum, adhuc nihilominus invitatur « actus suos examinare ad scientiam quam habet a Deo, sive sit naturalis, sive acquisita, sive infusa : omnis enim homo debet secundum rationem agere »¹⁷. Reus innocens proclamatus coram conscientia, coram Deo respondere debet, ergo principia iuris veritatem non manifestarunt, certitudinem solum iuridicam compararunt. In foro conscientiae reus confitetur se esse reum – in foro iudiciali iuris positivi hoc negat ; illic non se defendit, sed sincere confitetur – hic se defendit etiam forsan adhibendo in favorem sui talia quoque media, ut elidere conatur testium argumenta manifestando eorum occulta delicta ; illic respondere debet Deo quem nihil latet – hic hominibus, qui de internis non iudicant. Nonne igitur inconveniens videtur veritatem attingere seu certitudinem nos comparare posse in utroque foro iisdem criteriis ? Luce eorumdem principiorum ?

Conclusio

Hanc ergo partem, in qua doctrina seu rationibus et exemplis allatis conati sumus ostendere ordinis moralis conscientiae et ordinis iuris positivi rationem non esse eandem, claudamus. Concessimus ultimam rationem amborum eandem esse, at proximam et immediatam non esse eandem putamus, quia causae, quae rationem utriusque ordinis proxime et immediate reddunt, non sunt eadem. Ordo moralis latius patet, ad ultima criteria attendit, ad interna penetrat, supremas causas respicit ; quae omnia de ordine iuris positivi dici nequeunt. Nos autem in nostra quaestione inquirimus certitudinem proximam et immediatam, haec igitur non in eadem criteria resolvi potest, prout illam moralista et iurista resolvere conantur.

Concedimus S. Thomam principia iuris cognovisse, at tenemus illum nec transtulisse nec potuisse transferre eadem sic et simpliciter ad regulandas actiones in conscientia, ad solvenda dubia practica conscientiae, coram Deo. Translatio a Suarez, ut tenetur, facta, non proclamanda feliciter facta ! Nec unicus casus fuit, ut iuristae in campum moralem incursum fecerint. Iam tempore Gratiani et post eum iuristica tractatio

¹⁷ De Veritate, q. 17, a. 5 ad 4.

quaestionum moralium causa fuit non parvarum confusionum. – Item postea sub influxu nominalismi, ockamismi et voluntarismi ad legalismum, et facili gressu ad positivismum, fit transitus, unde Ockam concipit ius tamquam « veram philosophiam » et legem ut bonum aliquod in se, et non ut medium ad finem, ex quo rationem et valorem recipit. Moralis declinat in formalismum. – Nonne Grotius, Machiavelli et alii autonomiam iuris in damnum ordinis moralis, qui est ordo ad ultimum finem, a quo actio accipit valorem, non promoverint? Nemo autem negare potest auctores quoque catholicos, ipsis insciis, influxum harum doctrinarum pati potuisse et de facto passos esse. Haec quoque nostra quaestio rem demonstrare videtur.

II. Resolutio certitudinis moralis

Certitudo moralis, prudentialis, ad licite agendum necessaria et sufficiens, ad quid reducitur, in quod resolvitur? Illud in quod resolvitur seu ubi sistit, fundamentum et rationem dat seu explicat quam ob causam licite ad actionem procedi potest. Sistitne finaliter, resolviturne in principia iuris, ita ut actio illis conformis coram conscientia et coram Deo recta aestimari ac certitudo sufficiens luce illorum proclamari debeat?

Constans videtur hominum cura, ut id quod multiplex est, reducant ad unum, quod compositum, ad simplex. Hoc tamen, cum de reducenda actione particulari hominis liberi, quae multiplicibus in circumstantiis irretita invenitur, non facile dicendum est. Notam superficialitatis merentur quotquot ordinem socialem putant posse institui superstitionem quamdam fidem dando uniformibus ac inflexibilibus formulis, dicit Pius XII¹⁸, cum non possint componere exigentias principiorum universalium cum exigentiis casuum particularium. Simplicismi videtur nos accusare posse etiam illos, qui stabiles formulas iuris aptas putant, quae omnes casus particulares, omnia dubia actionum concretarum cum exigentiis principiorum moralium universalium componere praesumunt. Hi videntur identificare (quoad omnia) ordinem iuris positivi cum ordine conscientiae; item videntur putare conscientiam posse tranquillam reddi sola formula theoretica seu speculativa, ac si conscientia esset appren-

¹⁸ Pius XII: Nuntius radiophonicus die 24. XII. 1952: « Attendere la salute da rigide formule, materialmente applicate all'ordine sociale, è superstizione ... » ASS 45 (1953) 36.

sio speculativa et non dictamen in confinio speculationis et actionis consistens, utriusque influxum subiens; pariter videntur oblivisci electionem, ex qua sequitur actio, et cui certitudinem necessariam procurare intendunt, ad bonum, respective malum, non vero ad verum vel falsum terminare, ideoque illam esse essentialiter actum appetitus, secundum quod, utique, dirigitur ab intellectu.

Ut dubium conscientiae solvi possit et veritas practica attingi, necessario requirimus tum ut sit ratio vera, tum ut appetitus sit rectus, immo, cum agatur de bono, respective malo, ut obiecto electionis, primum damus appetitui recto, id est regulato virtutibus, et in particulari agibili virtuti prudentiae, nam rectam electionem facere debito virtutis tenemur, nec ab hoc debito formulis iuris excusamur.

a) *Certitudo moralis directa*

Natura certitudinis moralis non eodem modo ab auctoribus proponitur. Agimus de certitudine morali prudentiali, necessaria et sufficienti ad licite agendum, hac enim data dubium conscientiae dissolvitur, hac vero absente, conscientia dubio irretitur et ad actionem homo procedere nequit, quia cum practico dubio conscientiae homo agere prohibetur.

Optandum esset, ut uniformis modus loquendi in Manualia theologiae moralis introducatur. Ad hoc optimum putamus notionem eiusdem certitudinis moralis assumere, quam Pius XII in citata Allocutione die 1. X. 1942 claris terminis expressit.¹⁹ Nostra interest certitudo moralis, quae necessaria et sufficiens est ad licite agendum.

Certitudo moralis illa est, quae fundatur in constantia legum usumque, quibus regulatur vita humana. Ita certus sum moraliter amicum meum me non proditurum esse. Talis certitudo excludit omne rationabile dubium et tollit omnem prudentem formidinem errandi, at admittit absolutam possibilitatem contrarii, unde et amicus meus, exemplo Judae, me tradere potest. Ad agendum, dicamus, requiritur de facto

¹⁹ REGATILLO et ZALBA (op. cit. [adn. 1] num. 225 in nota num. 26) quasi ad verbum referunt hanc definitionem, de momentosis tamen singulis elementis eiusdem silent. Sumamus v. gr. verba quibus Pius XII dicit certitudinem obiective determinatam non posse esse nisi unam, et, consequenter, quod, si pro parte seu opinione contraria militat ratio quae sano, serio, competenti iudicio digna consideratione habetur, iam prima obiectivo modo fundata esse non potest, quid faciendum in concursu probabilioris opinionis pro lege et minus probabilis in favorem libertatis? Pro utraque non est obiective fundata, non est sufficiens, quod probabilismo non videtur convenire.

certitudo prudens, sufficienter fundata, prudenter inducta. Obiectiva fundatio certitudinis includit, solummodo unam posse talem esse, v. gr. de facto vel Breviarii recitatio peiorabit meam valetudinem vel non ; item, de facto, debitum restitui vel non restitui ; pariter dies Veneris de facto incoepit vel non incoepit etc. Hinc dicit Pius XII : « Sicut una est veritas obiectiva, sic etiam certitudo moralis, obiective determinata, non potest esse nisi una sola ». Si pro contraria igitur positione tales rationes militant, quae sano, serio, competenti iudicio saltem aliquo modo dignae declarantur consideratione seu probabiles, iam prima non stat tamquam sufficienter obiective fundata nec certa.

Dum absoluta certitudo moralis impossibilis censetur nec necessaria, probabilitas seu quasi certitudo a Pio XII adducitur tamquam quae nomen certitudinis neque mereatur, nam probabilitas est, quae non excludit omne rationabile dubium nec tollit omnem prudentem formidinem errandi. Semper igitur taliter procedendum, ut certitudo non innitatur instinctu vel opinione mere subiectiva unius vel alterius, credulitate personali, defectu considerationis et experientiae, nam haec omnia non reddunt rationem sufficientem pro certitudine obiective fundata. Non apud omnes idem modus nec idem gradus certitudinis verificatur, at, utrum sufficienter quisque certus sit an non, hoc in seipso experitur, sentit, intelligit, quia certitudo prudentialis, prout excludit omnem fundatam dubitationem seu prudentem formidinem errandi, consistit in indivisibili : *Est vel non est*. Certitudo est igitur acquirenda, labore consequenda, conatu sincero, intentione recta, ne, quod incertum est seu dubiosum, passio dictet ut certum. Certitudo, quamvis ad intellectum pertineat, a voluntario non praescindit semper et in omni actu concreto, quia iudicium corrumpi potest multiplici causa.

Valde interest scire : utrum saltem certitudo iuridica, quam iudex adhibere potest, resolvatur in principia iuris ? Utrum iudex tamquam ad ultimum criterium seu supremum lumen seu saltem immediatum lumen ad principia iuris respicere debeat ? Pius XII respondet negative, nam primo : iudex debet certitudinem mensurare iuxta obiectivam veritatem, quia « contra veritatem et contra veritatis securam notitiam nec dantur praesumptiones nec favores iuris » ; et secundo : certitudo moralis resolvitur seu appellat ad homines « sani iudicii », qui modo sano, serio, quasi « una intuitionem » iudicium efformant ; tandem tertio : quia « in recentiori actione iuridica, etiam ecclesiastica, non primo in loco positum est principium procedendi secundum formulas iuridicas, sed axioma liberae diiudicationis probationum ». Supra ergo omnes praesumptiones

ac favores iuris, et magis intimius quam ipsae, « res remittitur ad *prudens iudicis arbitrium*, qui, quae in singulis casibus certitudinem moralem pariant, existimet »²⁰.

Mirum sane iuristas non fidere sic et simpliciter principiis seu formulis iuris pro foro iuridico et moralistas eadem assumere ut momento decisivo gaudentia et quidem in foro conscientiae, et secundum illa aestimare se posse certitudinem sufficientem ac necessariam acquirere ! Ad prudentiam ergo recurrendum, ad virtutem intellectus practici, quae et alias virtutes in adiutorium vocabit, ut iudicium conscientiae certum ac rectum sit coram Deo, qui internos animi motus intuetur.

b) *Certitudo moralis indirecta*

Nomine certitudinis directae auctores intelligunt firmum mentis assensum ortum ex claris principiis internis, illustrantibus directe moralitatem actus ponendi, dum nomine certitudinis indirectae venit firmus mentis assensus ortus ex principiis indirectis et rei extrinsecis, quae rem directe et per se non illustrant, non probant. Sic legitimum est recurrere ad probatos auctores, ad auctoritatem, nam haec methodus attenda hominis infirmitate, omnino consulenda est, et ab omnibus, admissa.

A saec. XVI assumuntur principia iuris, quae reflexam certitudinem gignere dicuntur. Haec principia iuris non aperiunt obiectivam rei veritatem, sed tamen illuminant practicam agendi rationem. Illa clara concipiuntur in se, et « reflectunt proprium lumen super obscurum dubium practicum illiusque tenebras pro momento actionis dissipant »²¹. Videndum est, utrum vere dicta principia habeant lucem in se et illuminare possint obscurum dubium practicum ita ut in illa resolvi possit certitudo prudentialis necessaria et sufficiens, ad licite agendum, et quidem coram Deo.

Primo: Utrum dictis principiis iuris ex natura sua insideat lumen clarificans semitas conscientiae coram Deo ? Hoc non videtur, quia inspectis terminis quibus constant, minime videtur convenientia inter Subiectum et Praedicatum. Cogita ad principium probabilistarum : « Lex dubia non obligat » et concludes legem dubiam esse saltem partialiter ignoratam, et ignorantia potest esse culpabilis, unde et dubium ;

²⁰ C. HOLBOCK : Tractatus de Iurisprudencia SRR, a. 1957, p. 156.

²¹ D. PRÜMMER OP : Manuale Theol. mor., vol. I, num. 332 ; REGATILLO et ZALBA : op. cit. num. 243.

item concludes dubium per se inducere debitum abstinendi ab actione, differendi eadem ; pariter videbis quam immerito in Praedicato infertur certa deobligatio ex incerto Subiecto, quod offendit leges Logicae. – Item cogita ad illud aliud principium iuris : « Melior est conditio possidentis », et concludes tale principium solum declarare factum, at non clarificare ius facti, nam factum potest esse fructus maximae iniustitiae. Nemo dubitat meliorem esse conditionem habentis quam expectantis, at utrum habens id honeste habeat et facto possessionis tranquillus in conscientia et coram Deo existat, hoc praecise est quaerendum, quamvis pro foro iuridico idem principium iuris ut praesumptio seu favor, ob rationes supra dictas, valorem suum obtineat.

Secundo: Utrum dictis principiis iuris lux proveniat ex mente legislatoris ? Hoc proveniret, si legislator statueret et in quantum statuit legem dubiam non obligare, at hoc non supponitur, sed probari debet. Legislator lege vult obligare, legibus non ludit. Mens legislatoris supponitur certa, subditi est hanc mentem cognoscere et obligationem legis suae ignorantiae vel negligentiae antepone. Nec legislator ecclesiasticus (can. 16, § 2) nec civilis pro foro externo admittunt valorem dubio vel ignorantiae, sed urgent observationem legis ; pro foro interno autem lex obligat vel non prout dubium fuit vincibile vel non, sicut generaliter de ignorantia statuit CIC (can. 2199, 2202-4). Item, qui ad dubium vel ignorantiam appellans contra legem irritantem ageret, minime excusaretur, ut expresse statuitur (can. 16, § 1). Quod igitur lex positiva non admittit, moralistae aliqui assumunt et vinculum legis etiam pro foro conscientiae excutere volunt, appellando ad legislatorem, et ex mente eius incerta volunt gignatur deobligatio certa, seu ex mente legislatoris incerta inferunt certitudinem, id est ex tenebris lumen recipere aestimant.

Tertio: Utrum dictis principiis iuris lumen competat ex praecedenti formatione conscientiae ope prudentiae ? Hoc concedimus, at : 1) in dictis formulis prudentia non nominatur, immo ab asseclis systematum prudentiae fere nullus valor tribuitur, saltem cum systemata proponunt ; 2) fert adagium : « Propter quod unumquodque – illud magis », si ergo certitudo primario resolvitur in prudentiam, si prudentiae uniuersisque committitur decernendum de casu particulari, non primario idem principiis iuris competit, et mirum, cur de illa fautores systematum quasi sileant ; 3) prudentia sine formulis iuris casus particulares solvere potest, formulae autem sine prudentia nequeunt, et, dum formulae seu principia iuris praestare volunt fixas regulas agendi, prudentia de ipsa actionis positione vel non positione iudicare debet, inde et de ipsarum

formularum usu vel non usu ; 4) conscientia quaerit certitudinem, ut ministret quae necessaria sunt ad rectam electionem faciendam, sed electionem esse essentialiter actum appetitus secundum quod dirigitur ab intellectu, proinde recta electio non sic et simpliciter proclamanda est fructus alicuius formulae, sed de libera electione loqui possumus quasi de opere valde laborioso, de « liberatione » hominis per actum liberum a tot et tantis impedimentis eiusdem ²² ; 5) si a prudentia lumen expectatur, haec non uniformem regulam seu fixam formulam pro unoquoque casu praebebit, sed, memor contingentiae particularium eorumque mutabilitatis, pro unoquoque casu iuxta varias circumstantias iudicare sibi reservat, quod fautores systematum non admittunt, sed volunt uniformem regulam pro omni casu et pro omni materia.

Quarto : Utrum dictis principiis iuris lumen proveniat ex auctoritate, quam magni viri talibus formulis dederunt, vel etiam ex eo quod Ecclesia aliqua systemata defendenda suasit, puta cum in favorem opinionis magis probabilis contra minus probabilem sese expresserit, prout habetur Denz. 1219 ? – Nec ex hac parte dictis formulis lumen provenit, quia magni viri medii aevi valorem dictis formulis pro foro conscientiae minime dederunt, sed easdem ad forum iuris positivi restrinxerunt. – Ad Ecclesiam quod attinet, illa nullum systema qua tale sequendum proposuit, quamvis singulas propositiones in favorem opinionis solum probabilis non aequo modo habeat (Denz. 1153) et in favorem probabilioris se pronuntiet (Denz. 1219), per quod nihil quam rationis dictamen secuta videtur. Curiosum tamen est, precise asseclas probabilismi systematibus ex animo adhaerere, aliis non tanto zelo duci apparentibus. – Si de auctoribus posterioribus sermo instituitur, quae auctoritas, ubi nulla vel parva concordia ? Prae mente teneamus systemata ordinata esse, ut nobis claram, expeditam, securam methodum seu normam praestent, ita ut in quolibet casu et in qualibet materia certitudinem acquirere possimus. Sumamus unum principium : « In dubio standum pro quo stat praesumptio ». « Hoc principium ab omnibus admittitur, facile etiam ab rudibus intelligitur », unde ad illud omnia alia principia « facile reducuntur » ²³. Verba verae consolationis, nonne ? Audiamus statim alium : « Non intelligimus quomodo scribere quidam potuerint illud esse principium universale, ad quod caetera omnia reducuntur » ²⁴.

²² S. THOMAS : in Eth. Nic. num. 1137 ; cfr. seriem articulorum, quos conscripsit A. SFERRAZZA SJ : DT (Piacenza) 61 (1958) 37-49 ; 62 (1959) 94-117 ; 63 (1960) 173-191.

²³ PRÜMMER : op. cit. I, num. 336.

²⁴ MERKELBACH : op. cit. II, p. 990.

Perlustra manualia theologiae moralis et videbis quam insecure claritas, ubi deficiens concordia, at, interea, omnes expectant, ut fautores systematum praebeant certum, expeditum, clarum modum certitudinis ad licite agendum acquirendae.

Adsunt etiam hodie fautores systematum vere toto corde iisdem dediti. Scribit aliquis: « Probabilismus est clavis Theologiae Moralis, cui si quis studet sine hac clavi, in praxi erit cymba sine gubernaculo et contrariis ventis agitata ac proinde inter scopulos aut rigorismi aut laxismi necessario concutietur »²⁵. Iuxta nos primum ac supremum punctum stabile pro tota theologia morali est finis ultimus. Lumen seu lux primo provenire debet ab ipso obiecto actionis in finem ultimum tendentis, et quidem ab obiecto circumstantiis vestito, et formulis iuridicis lumen nullum attribuetur, si veritati obiectivae non respondent, hanc autem veritatem obiectivam rei dictae formulae per se non inferunt, v. gr. formula probabilismi non infert utrum lex existat, alia formula non infert, utrum factum possessionis sit obiective fundatum an non. « Clavis » in dictis formulis residere nequit, quia formulae sunt mortuae, quilibet autem actus particularis est quid vivum, unde dictae formulae vivificari indigent vi interna, quae est ratio sufficiens et recta intentio, id est virtus. Non potest esse « clavis » pro ordine morali, quae clavis etiam in foro iuris positivi superiori criterio rectificari debet, sicut diximus supra. Clavis pro ordine morali ex ordine morali, non ex ordine iuridico positivo assumi debet, ordo porro moralis a fine ultimo vitae imponitur, ordo iuridicus a fine proximo, immediato, fine huius vitae. Nec principium probabilismi nec principia aliorum systematum praebent nobis « clavim » ad aperiendum secretum ordinis moralis, qui latius patet et intimius penetrat quam ordo iuris positivi; non aperiunt nobis secretum agentis, qui omnes praesumptiones ac favores iuris eludere potest; non aperiunt secretum actionis, quia actio externa, prout competentiae iuris positivi subiacet, est solum secundarium elementum actionis humanae, cuius principium intra invenitur, et soli Deo est plene cognitum.

c) *Resolutio certitudinis apud S. Thomam*

Certitudinem vocamus firmum assensum mentis, qui fulgore veritatis mentis assensum quasi rapit. Hoc fit propter evidentiam, nam evidentia est hic fulgor assensum rapiens. Evidentia est motivum supre-

²⁵ A. LOIANO: Institutiones Th. mor., vol. I, num. 329.

num certitudinis. Sunt veritates quae gaudent evidentia intrinseca, quae « non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sunt per se vera »²⁶. Etiam veritates ordinis moralis habent hanc necessariam visibilitatem. Si namque dantur talia motiva ad hoc vel illud asserendum, ut rationabile dubium non detur nec prudens formido locum habeat, fulgor veritatis elucet tantus, ut prudenter recusari nequeat. Hoc in casu veritati adhaerere habet rationem sufficientem, ergo certitudo moralis transit aliquo modo ad certitudinem metaphysicam. Principia autem iuris non necessario per se vera *sunt*, nam sunt solum praesumptiones iuris, multo minus *videntur* quod « sunt per se vera ». Certitudo igitur in illa resolvi non potest nisi pro foro externo iuris positivi.

Sumamus denuo exemplum allatum. Hic christianus certus esse desiderat, utrum licitum sit illi manducare carnes, cum dubitet utrum dies Veneris incoeperit necne. Dubium ergo impedit electionem, ex qua sequitur actio. Ille indiget certitudine, evidentia necessaria et sufficienti ad licite agendum. Si electio esset fructus solius cognitionis, certitudo eius ad principia speculativa vel theoretica resolvi posset, at electio est etiam actus appetitus, immo est « essentialiter actus appetitus », ut audivimus ex S. Thoma²⁷. Quid sequitur? Si volumus sufficientem certitudinem ad rectam electionem faciendam habere, necesse est ut non solum rationalis pars sit perfecta, sed et appetitus sensitivus oportet sit perfectus. Non sufficit igitur adhibere formulam quamdam iuridicam, quae ad summum lucem rationi praebet – prout diximus illam praebere –, sed ad necessariam et sufficientem certitudinem ad agendum habendam criterium rectificandi appetitum oportet exprimere, quia impossibile est ut recta electio fiat « sine more et mente »²⁸.

Haec quae diximus ex S. Thoma, sunt eiusdem fundamentalia principia de influxu appetitus sensitivi sive in partem intellectivam sive in partem volitivam superiorem. Nulla electio est sine recta ratione et sine recto appetitu, electio dicimus ipsa si est recta. Concedit ipse Angelicus, tantam posse esse perfectionem appetitus sensitivi, tale connubium inter « mores et mentem », ut sint homines qui per connaturalitatem ita bene iudicent, ut pro illis exclusum maneat rationabile dubium et prudens formido contrarii. Unde autem dictus christianus hauriet hanc connaturalitatem? Procul dubio ex virtuosa dispositione. Virtuosa igitur

²⁶ S. THOMAS : De Veritate, q. XI, a. 1.

²⁷ In Eth. ad Nicomachum, num. 1137.

²⁸ *ibid.*, num. 1133 sq.

tur dispositio est punctum ad quod resolvitur sufficiens ac necessaria certitudo ad agendum, quia « qualis unusquisque, talis finis videtur ei ». Virtuosus quasi est « existens regula et mensura omnium operabilium »²⁹, qui recte iudicat singula quae ad operationes humanas pertinent, et ille semper tendit ad operandum quae rationi, respective fidei, convenientia sunt.

Non solum S. Thomas scit, non pro omni materia certitudinem aequalem esse possibilem, sed scit quoque non omnem hominem aequaliter certitudinem moralem assequi posse. Sunt qui nascuntur dinotici, ingeniosi, qui veram viam ad finem perveniendi faciliter inveniunt³⁰, dum alii laborioso conatu, consilio etc. habitum cum certitudine procedendi acquirere debent. Uniformitas ergo alicuius formulae iuridicae impossibilis est, ut, pro S. Thoma, modo simplici, facili et expedito certitudinem omnibus pariat.

Multo minus S. Thomas certitudinem prudentiae, quae est virtus agendi in particulari, ad uniformem formulam resolvit, nam particularia sunt varia et incerta. Prudentia, quae hominem dirigit non solum ut verum practicum attingat ut in pluribus, sed etiam ut contra omnes fortunae insultus minus laedatur, resolvitur non solum in rationem, sed etiam in sensum interiorem, qui perficitur per memoriam et per experimentum « ad prompte iudicandum de particularibus expertis »³¹. « Bonus affectus »³² vel « motus sui animi »³³ sunt immediata instantia, ad quam recurrendum, ut resolvatur certitudo, positis omnibus quae prudentia ponenda et adhibenda prius praeceperit.

Concludamus igitur nec secundum recta principia iuris positivi certitudinem iuridicam semper resolvi posse in praesumptiones et favores iuris, quae principiis reflexis enuntiantur. Multo minus hoc verum est de certitudine necessaria et sufficienti pro ordine morali. Certitudo manebit quidem semper aliquo modo instabilis et incerta, at illa quae et quanta esse seu acquiri potest, per prudentiam, ergo per virtutem est acquirenda. Debitum pro homine est ut habitum acquirat, quo certitudinem necessariam habere possit, sed hoc non fit « sine more et mente », unde formulae iuridicae ad illam comparandam censentur insufficientes.

²⁹ In Eth. ad Nicomachum, num. 494 ; S. th. I, q. 1, a. 6 ad 3 ; II-II, q. 45, a. 2.

³⁰ ibid. num. 1271-1274.

³¹ II-II 47 a. 3 ad 3.

³² Ibid. II-II, q. 60, a. 4 ad 2.

³³ Ibid. II-II, q. 70, a. 2 ad 2.

III. Principia rationi magis consona

Ordo moralis est ordo dynamicus, ordo tendentiae in ultimum finem, et tendentiae, quae tum per legum observantiam tum per consiliorum adminiculum in perfectione crescere procurat. Hanc positivam tendentiam principia iuris dicta « reflexa » obliviscuntur. Certitudo quam homo necessariam et sufficientem habere debet, debet esse fructus tum rectae mentis tum recti appetitus seu virtuosae dispositionis, et impossibile est de certitudine loqui sine « more et mente ». Quaecumque igitur principia in ordinem moralem intrant, quaecumque liberam electionem regulare intendunt, oportet contineant tum dynamismum tendentiae in ultimum finem possidendum tum regulationem mentis et morum, cognitionis et appetitionis. His conditionibus non observatis non de principiis pro ordine morali loqui possumus, sed est transitus in alium campum seu : *cantus extra chorum, εἰς ἄλλο γένος μετάβασις.*

a) « Ratio sufficiens » est prima lux pro mente, « recta intentio » est prima lux pro moribus, unde ambo sunt primum principium lucens ac regulans obscuras semitas conscientiae, medium aptissimum ad necessariam et sufficientem certitudinem acquirendam. Pius XII principium rationis sufficientis appellavit « absolutum certum ». Moralista prae oculis habet ea quae ad ius divinum vel naturale pertinent, ideoque, cum virtus naturalis exigit a homine ut secundum rationem agat, rationem sufficientem habere significat primum ac absolutum lumen possidere, quo certitudo ad agendum acquiri potest. Ratio sufficiens et proportionate gravis illa est, quae in doctrina de imputabilitate actus cum duplici effectu habet momentum decidens ; illa est, quae rationem dat ut aliquis peccati periculo sese exponat ; illa est quae a legis observatione liberat, v. gr. grave incommodum, *epikeia* etc. Supra diximus rationem sufficientem elucere in gravibus motivis, propter quae certitudo moralis quasi in metaphysicam transit. Lux huius principii, quod pro ordine speculativo et pro ordine practico valet, sufficiens est ad certitudinem multis in casibus gignendam, et si coniungatur cum principio rectae intentionis, summam videntur totius doctrinae de hac quaestione praebere. Si intentio non est recta, nulla praesumptio, nulla dispensatio, nullus favor iuris positivi hominem coram Deo iustificat, quia cum prava intentione « et unum beneficium habere, quod nullam deordinationem importat, esset illicitum »³⁴.

³⁴ Quodl. IX, q. 7, a. 15.

b) « Agere secundum rationem ... est agere secundum virtutem »³⁵ et secundum hoc omnes actus virtutum sunt de lege naturali, nam dictat ratio unicuique, ut virtuose agat. Ratio dictat : cum dubio non agere ; speciem peccati seu peccatum materiale pro posse, prasertim ob scandalum, vitare ; actus suos prius examinare coram Deo et conscientia quam coram hominibus ; legibus subdi, cum ad hoc latae sint etc. Hoc igitur praeceptum est simul rationis et virtutis, et natum est maiorem certitudinem causare, maius lumen in actionem profundere quam praesumptiones ac favores iuris. Haec principia vere sunt « dignitates », internam evidentiam possident, ad ordinem moralem pertinent, ipsum hominem attingunt, actionem rectificant, certitudinem sufficientem et necessariam generant etc. Cogita ad casus adductos : numquid « lex dubia non obligat » ab imputabilitate hominem liberabit, qui contemnit vel aegre fert legem Ecclesiae de abstinentia ? Numquid prudenter agit qui certo contractum debitum non vult solvere, et tamen dispositus est ad debita non reddenda ? Numquid sufficientem certitudinem obtinebit sacerdos, ut Breviarium non recitet, si aliunde in eius recitatione negligens invenitur ? Ordo moralis hominem vult ad finem ultimum appropinquare, dum formulae iuridicae quasi hominem volunt morari in hac terra, nam respectum ad finem ultimum sponte videntur homini praecludere.

c) « Quod est verisimilius, utpote Deo propinquius, est sequendum ». In hoc denuo principio tum ratio tum debitum ordinis moralis enuntiatur. Ponamus hominem irretitum dubio : ex tali statu, per se loquendo, nihil sequitur, quia dubium ligat mentem sicut ligamina prohibent hominem ne ulterius progrediatur. Sed ponamus dubium iam ad opinionem declinare, ob rationes homo inclinatur ad hanc potius quam ad illam opinionem contrariam. Ratio, inde virtus dictant sequi verisimiliorem sententiam, nam propositis multis, si voluntas sequitur minus verisimilem, movetur contra rationem, si autem movetur in unam » in quantum una praeponderat, tunc movetur voluntas secundum rationem »³⁶. Quod voluntas sequatur rationem, hoc naturale est et debitum.

d) « Unusquisque tenetur actus suos examinare ad scientiam quam a Deo habet, sive sit naturalis, sive acquisita, sive infusa »³⁷. Si de lege dubitas vel illam ignoras, forsan responsabilis es, quia culpabiliter ignoranter dubitas, et tuum officium naturale, ergo praeceptum naturale est, ut de impletione praecepti seu legis cogites, non ut iudices superiorem.

³⁵ I II, q. 94, a. 3.

³⁶ De Malo, q. 6, a. 1 id est unico.

³⁷ De Veritate, q. 17, a. 5 ad 4.

Oboedientiam ergo legis examinare debes coram Deo, nam illi rationem reddes. Supra legem positivam adest lex naturalis et divina, unde si fugis legem humanam, advertas ne cadas in transgressionem legis naturalis et divinae. Theologia moralis leges aestimat ut media ad finem ultimum, ergo ad impletionem invitat, non vero modum tradit quomodo leges eludere fas est.

e) « Semper virtus declinat in id quod minus habet de malo »³⁸. Si agere non debeo nec eligere hoc vel illud debeo, sed, si agere debeo, ratio mihi dictat id quod minus habet de malo eligere. Malo sese exponere nemini licet nisi adsit causa proportionate gravis. Quanto aliquid est melius, tanto est Deo propinquius, et ordo moralis est ordo appropinquandi Deo, ergo sequendi quod minus habet de malo. Hoc exigit ratio, hoc igitur virtutis est.

f) « Error conscientiae non habet vim absolvendi et excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia eius quod quis scire tenetur et potest »³⁹. In moralibus primo attendendum est, utrum ignorantia vel dubium sint culpabiles, nam tunc non excusant, quamvis a peccato formali in se possint excusare. Negligentia non tollit quominus idem actus, si non formale, fiat saltem peccatum materiale.

g) Qui sequitur partem minus certam, relicta certiore, vel amplectitur opinionem minus probabilem in favorem libertatis, relicta probabiliore in favorem legis, « periculo se committit et sic procul dubio peccat »⁴⁰, nam magis amare videtur bonum temporale, cum sese exponat periculo peccati, quod non licet nisi adsit causa sufficiens ac proportionate gravis, sicut diximus supra. Et alias conditiones liceitatis ponendi actum cum duplici effectu observare obligatio certa est.

h) « Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam »⁴¹. Ex eo quod talis actus est contra legem obiectivam, malitiam induit, quod negare nequit nisi ille qui obiectivitatem ordinis moralis negat. Aliqui theologi nimis fidenter scribunt non necessarium esse vitare periculum peccati materialis⁴², at rectius esset attendere ad illud S. Pauli: « Ab omni specie mali abstinete vos » (I Thes. 5, 22), item ad propositionem dam-

³⁸ In Eth. ad Nicomachum, num. 713.

³⁹ Quodl. VIII, art. 15.

⁴⁰ Ibid. art. 13.

⁴¹ Ibid.

⁴² NOLDIN : De Praeceptis, num. 244 secundo.

natam ab Innocentio XI (Denz. 1230). Unde S. Thomas in scandalum activum includit etiam « similitudinem peccati »⁴³. Ipse Dominus dicit : « Qui non cognovit et fecit digna, plagis vapulabit paucis » (Luc. 12, 48), tamen vapulabit. Neque dicas praeceptum non existere eligendi semper id quod perfectius est, nam hoc debitum est saltem « affectu », prout homo tenetur ad perfectiora tendere, per consequens rationem sufficientem habere, ut a magis perfecto abstineat. Non videtur quomodo possibile sit simul habere affectum ad perfectiora, quod est debitum, et simul, quasi a priori, principii instar, docere non esse debitum vitare peccatum materiale. Dantur enim actus ex se mali, quos nulla circumstantia bonos efficere potest.

Concludamus ergo haec et alia principia magis consona rationi esse. Sunt namque applicationes principiorum ordinis practici, quae a natura possidentur, quae a doctis facili gressu videntur. In omnibus istis et aliis quae adduci possent, evidentia lucet et assensum trahit. Illa non solum enuntiant verum, sed imponunt debitum, includunt virtutem, ergo per se ad ordinem moralem pertinent. In moralibus non est studendum quomodo in via perfectionis sistendum, sed semper magis ac magis Deo appropinquandum. Lumen horum principiorum lucet, regulat ac movet in Deum. Quam pallidum lumen formularum iuridicarum, si cum hoc lumine comparantur !

IV. S. Thomas omne systema respuit

Systema dicit quamdam uniformitatem. Omne systema regitur uno vel pluribus principiis (in casu de facto formulis iuridicis), luce quorum particulares casus conscientiae solvere accingitur. Hanc intentionem, secundum nostram opinionem, S. Thomas impossibile aestimat, unde omne systema, qua tale, respuit.

a) Systemata proponere intendunt modum quo certitudo in omni casu et in omni materia ope principiorum iuris acquiri potest, dum S. Thomas scribit impossibile esse infinitatem singularium ratione humana comprehendi, et nullius hominis sapientiam dicit talem, ut possit omnes singulares casus excogitare. Sufficit et possibile est per partes prudentiae, puta per memoriam et experientiam, singularia reducere ad aliqua communia et universalialia, sed talia solum attingunt rem « ut in pluribus »⁴⁴.

⁴³ S. THOMAS : II-II, q. 43, a. 1 ad 4.

⁴⁴ II-II, q. 47, a. 3 ad 2 ; a. 15 ; q. 96, a. 6 ad 3 ; q. 57, a. 3 ad 2.

b) Comprehendere omnes casus omnemque materiam aliqua formula iuris vere videtur extraneum. Quod multo plus extraneum videtur, si ad casualia et fortunae insultus mentem dirigimus. Haec enim cum « sint infinita, ratione comprehendi non possunt, nec homo sufficit ea praecavere. Quamvis per officium prudentiae homo contra omnes fortunae insultus se disponere possit, ut minus laedatur »⁴⁵. Dum ergo « certitudo formularia » systematum varietatem infinitam particularium quasi ad uniformem regulam artis reducere intendit, S. Thomas officio prudentiae tribuit laborioso conatu sapienter posse vivere et operari. Prudentia abhorret immobiles formulas atque ordinem rationis inducit in continuum fluxum et mutabilitatem rerum particularium. Totum quod in particularibus, tam variis et tam mutabilibus, possibile est acquirere, virtus prudentiae praebere potest, nam illa recte consiliatur, iudicat et praecipit, et sine virtutibus moralibus esse non potest, rectificat ergo totum hominem et omnem activitatem.

c) S. Thomas conscius est causas operabilium variari infinitis modis. Tenerisne reddere debitum certo contractum et dubie restitutum? Circumstantiae attendendae variae esse possunt. Esne tu facilis ad obliviscenda debita? Estne creditor avarus vel beneficus, mendax, veritatis amator? Debesne tu prius providere tibi tuisque necessaria vitae? Quae intentio movet et ad restituendum? Ut creditor in ludo consummet denaria? Ad haec omnia attendi debet, proinde sapienter dicit S. Thomas: « Iudicium de his *non potest sub certa regula comprehendendi, sed reliquuntur existimationi prudentis* »⁴⁶. Nec ergo certa regula vel criterium dari potest, nec in genere formula ad solam cognitionem pertinens idonea est, sed virtus, eaque prudentiae seu sapientiae vitae, quae est recta ratio agendorum. Textus ex S. Thoma allatus peremptorius videtur ad mentem eiusdem Doctoris cognoscendam.

d) Certitudinem sufficientem ac necessariam ad licite agendum acquirere significat electionem praeparare, inde et rectam actionem. Hoc pertinet ad scientiam practicam, scientiam de moralibus, non iuridicam, quae est de relationibus solum socialibus et externis. Sermo autem de moralibus est universaliter incertus, quia materia variabilis et contingens, in particulari vero est inenarrabilis, unde numquam sollicitudo tolli potest⁴⁷. Quam difficile est circumstantias actus in particulari praevidere! Quam difficile omnibus circumstantiis occurrere! Facile

⁴⁵ II-II, q. 49, a. 8 ad 3.

⁴⁶ In Eth. ad Nicom., num. 399; item num. 259.

⁴⁷ II-II, q. 47, a. 9 ad 2; In Eth. ad Nicom., num. 32-37, 259.

est dare pecuniam, sed difficile est hic et nunc bene dare, ne mensura excedatur. Facile est dicere licitum esse moderate irasci, sed difficile est hic et nunc assignare mensuram seu medium, et huius difficultatis signum est quod illos qui deficiunt aliquando vocamus mansuetos, aliquando vero illos qui aggravant in puniendo vocamus viriles. Mensuram servare, medium tenere, non in extrema declinare, ergo virtuose agere non uniformi regulae, sed virtuti est attribuendum, quia difficile, laudabile, virtuosum⁴⁸. Electio in particulari pro S. Thoma est actus virtutis, si electio est bona, virtus autem acquiri debet laborioso conatu, systemata autem omnes casus particulares uniformi formula solvere vellent.

e) Systematum ergo moralium impossibilitas pro S. Thoma resultat ex eius notione prudentiae. Pro illo prudentia est virtus, quae ponit medium, id est modum rationis in actionibus et passionibus, unde dicit stabilem et sapientem adaptationem casibus concretis, qui infinite variantur. Illa numquam uniformiter procedit, quia circumstantiae numquam eadem, at semper stabili modo procedit, quia semper sapienter, fini ultimo convenienter. Illa apta media invenit, medium in virtutibus ponit, actionem humanam fini conformem reddit, illa est vere sapientia vitae. Homo libero arbitrio donatur, responsabilitate oneratur, ut in omni casu videat et decernat, superioribus normis semper conformiter, « quomodo diversimode sit aliquid bonum vel malum, secundum quod congruit diversis individuis, temporibus et locis »⁴⁹. Non ergo automatismus simplicisticus systematum, sed prudentia cum omnibus suis partibus excolenda est, ut homo necessariam et sufficientem certitudinem ad operandum habere possit. Non uniformis regula seu formula iuris positivi, sed oportet memoriam colere, intelligentiam, docilitatem, solertiam, inquisitionem et discursum, providentiam, circumspectionem, cautionem. Videas et alia quas necesse est virtutes concurrere ad perfectum actum virtutis prudentiae, et concludes inane esse conamen inveniendi unam formulam, quae omnes casus possit comprehendere et luce cuius omnes solvi possent.

f) Conatus systematum secundum principia S. Thomae videtur inutilis. Iam supra ex ipso S. Thoma diximus non eandem rationem procedendi esse in campo iuris positivi et in campo iuris divini et naturalis. Nos procedere debemus ut moralistae. Moralista de omnibus iudicat secundum ordinem ad finem ultimum, unde etiam de lege. A lege non excusat ignorantia vel dubium, prout ignorantia est mixtum, si igno-

⁴⁸ In Eth. ad Nicom., num. 370 ; 379.

⁴⁹ C. Gentes, III, cap. 113.

rantia est vincibilis, quia actus ex tali statu mentis procedens iudicabitur malus, abducens ab ultimo fine. Item quoad ipsam obligationem aliter moralista, aliter iurista. Iurista insistit determinismo legis, moralista cum S. Thoma, iudicans de lege secundum eius ordinem ad bonum animae, relate ad finem ultimum seu Deum consequendum, repetit, legem positivam non obligare « nisi servatis debitis conditionibus et personarum et locorum et causarum et temporum »⁵⁰, unde accidere potest ut legem servare sit « contra ius naturae »⁵¹. Impossibile est ergo certitudinem iisdem criteriis assequi, sed iurista utitur suis, moralista suis. Principia iuris, quibus utuntur fautores systematum moralium, nec sunt talia, ut evidentia gaudeant, nec sunt ex morali ordine desumpta, ideoque nec eorum ope certitudo necessaria et sufficiens ad licite agendum comparari potest.

Concludamus igitur secundum principia S. Thomae nullum systema qua tale possibile esse. Systema dicit constructionem rationis, certitudo autem conscientiae necessaria et sufficiens ad rectam electionem praeparandam non est fructus solius rationis seu constructionis conceptualis, sed requirit quoque rectum appetitum. Sola igitur prudentia, quae est recta seu sapiens dispositio in agibilibus, et quae includit rectum appetitum, totum id, quod possibile est, praestare potest, ut debita certitudo acquiratur ad licite agendum. Sine dubio lumen quod ex obiecto provenit, item lumen primorum principiorum ordinis practici, ergo principiorum quae ordinem dynamicum tendentiae in ultimum finem exprimunt, clarificant difficultates conscientiae, at principia iuris seu formulae iuris non possunt per se tranquillam reddere conscientiam neque illi certitudinem comparare, nam sunt formulae iuris positivi, obiectiva evidentia non gaudentes, valorem relativum possidentes, quae nec in foro iuris positivi momento decisivo semper gaudere dicendae sunt, prout diximus supra.

V. S. Thomas probabilismo non favet

Hoc sequitur ex dictis, nam si nulli, ergo neque probabilismo favet. Probabilismus tamen est sat diffusus, multi putant illum praebere expeditum modum acquirendae certitudinis ad licite agendum. Dicenda sunt ergo aliqua de probabilismo in speciali.

⁵⁰ S. THOMAS : De Correctione fraterna, art. un.

⁵¹ II-II, q. 61, a. 5 ad 2.

Primaeva formula probabilismi etiam a probabilistis hodiernis relinquitur. Primaeva enim formula erat : « Qui probabiliter agit, prudenter agit ». Sed cum talis formulatio valde propinqua erat aliquibus propositionibus damnatis ab Innocentio XI (Denz. 1151-1154), probabilistae aliam formulam elegerunt. Dicunt itaque : « Lex dubia non obligat », quia si lex non est cognita, non ligat, et quamdiu mens de existentia legis dubitat, legem non cognoscit. Libertas ad probabilitatem appellat, et hoc illi competit prius quam legi, ex qua probabilitate pro libertate, lex manet incerta, sine obligatione ⁵². Estne igitur lex incerta obiective vel subiective ? Probabilistae explicant dicendo incertitudinem provenire ex eo, quod lex apparet « incerta, insufficienter promulgata, invincibiliter ignorata » ⁵³.

Verbis Pii XII edocti melius ducimus abstinendum a termino « probabilitas », quia « probabilitas » neque meretur appellationem certitudinis, cum non excludat omne rationabile dubium nec tollat omnem prudentem formidinem errandi. Probabilitatem vocat Pius XII « quasi-certitudo ». Loquamur ergo de certitudine, ergo de statu mentis, in quo excluditur omne dubium fundatum, solidum, et tollitur omnis prudens formido. Si pro una parte, dicamus pro existentia legis stat talis certitudo, pro libertate nequit dari eodem tempore sufficiens certitudo, et tunc lex obligat ; si, e contra, prudens certitudo existit pro libertate, id est, quod lex non detur, lex non obligat. Impossibile est ut simul pro utraque parte existant sufficientes certitudines, nam obiective nequeunt fundari opposita de eodem. Tali in casu, una pars non est certa, sed solum quasi-certa.

Quid igitur nobis hoc principium iuris, a probabilismo assumptum, tribuere potest ? Systemata moralia promittunt praebere principium, quo in omni casu et in omni materia conscientia sufficientem certitudinem acquirere potest. Age vero, statim probabilistae dicunt eorum principium non esse sequendum : quando agitur de medio ad salutem necessario, de valore sacramenti, de certo iure tertii, de bono publico vel alias superiore, et insuper principium non valere « in dubio practico, si quis de actione hic et nunc ponenda conscientiam certam sibi formare nequit » ⁵⁴. Quibus perlectis posset aliquis statim librum de probabilismo deponere, nam systemata moralia precise nobis medium dare voluerunt ad certi-

⁵² NOLDIN : De Principiis, num. 239.

⁵³ REGATILLO - ZALBA SI : op. cit. [adn. 1] num. 269.

⁵⁴ NOLDIN : op. cit. num. 236.

tudinem introducendam in dubio conscientiae, in dubio pratico, prout diximus initio huius disputationis.

Nota tamen non omnes probabilistas eodem modo loqui; nam quidam dicunt probabilismum valere, ubi « proxime dubitatur utrum aliquid sit licitum »⁵⁵ seu quando exsurgit quaestio « circa obligationem practicae legis »⁵⁶, vel quoad « applicationem ad casum concretum » et quidem tum in lege naturali tum in lege divina⁵⁷. Interea conscientia expectat adiutorium in maxime momentosis negotiis vitae moralis, et ecce probabilismus non vult illam ducere. Cur probabilismus non vult conscientiae ducatum praestare? Cur confidentiam in seipsum amisit? « Claudicationem suiipsius » observavit? Cur nihilominus a probabilistis probabilismus adhibetur ad solvendo casus practicos conscientiae? Si enim probabilistae volunt eorum systema ordinari ad solvenda dubia remote practica, tunc valor systematis adhuc plus decrescit, nam talia dubia solvi possunt ac debent studio, consultatione, adhaesione probatis auctoribus etc.

Ante omnia dicendum, non propterea, quia aliquis legem ignorat vel de illa dubitat, ab eiusdem observatione excusari. Sunt namque circumstantiae, quae eius ignorantiam faciunt voluntariam, illumque pro dubio responsabilis reddunt. Unde S. Thomas scribit: « Ignorantia, quae est aliquo modo volita, sive directe sive indirecte, propter negligentiam, non causat involuntarium »⁵⁸. Ignorantia, inconsideratio, negligentia etc. possunt quoque esse graviter culpabiles⁵⁹. Lex naturae praecipit, ut tantum se extendat imputabilitas, quantum ipsa voluntarietas⁶⁰. Videndum est igitur, a quo probabilistae excusationem expectant, et quidem secundum mentem S. Thomae iudicando, nam illum patronum sui systematis vocant.

Excusatne incertitudo legis, utpote insufficienter promulgatae? Omnis legislator legum positivarum determinat modum promulgationis et tempus, ex quo lex obligare incipit. Lex rite promulgata eo ipso obligare incipit, et, dum lex perdurat, quasi continuo promulgatur. Lex autem naturalis sufficienter promulgata est ex hoc, quod « Deus eam mentibus inseruit naturaliter cognoscendam »⁶¹. Divina lex pariter promulgata

⁵⁵ E. GENICOT : *Casus Conscientiae*, num. 11.

⁵⁶ REGATILLO-ZALBA : *op. cit.* num. 246.

⁵⁷ *Idem*, *ibid.*, num. 260.

⁵⁸ S. THOMAS : I-II, q. 19, a. 6.

⁵⁹ II-II, q. 53 et 54.

⁶⁰ Cfr. CIC, can. 2199, 2202.

⁶¹ S. THOMAS : I-II, q. 90, a. 4 ad 1.

est. Ex hac ergo parte deobligatio non exsurgit, omnis enim legislator procedit ex fictione legem promulgatam omnibus debere esse notam. Dicere autem legem non rite promulgatam non obligare, idem est ac dicere : legem non existentem non obligare, cum promulgatio ad essentiam legis pertineat saltem ut conditio sine qua non obligationis. Ex hac parte vel probabilismus nihil dicit, vel, quod dicit, inutile dicit. Legislator computat tempus quo legis notitia ad omnes « devenire potest promulgatione facta »⁶², et, tempore transacto, subditus non excusatur a transgressione legis ob ignorantiam vel non sufficientem promulgationem.

Excusatne incertitudo legis, secundum S. Thomam, utpote incerte formulatae seu enuntiatae ? Legem incerte formulatam esse non praesumitur. Exstat interpretatio authentica, usualis, doctrinalis (can. 17), sed certe unicuique non relinquitur, ut de sensu legis iudicet. Si ergo incerta est enuntiatio legis et tempus permittit, consulendus est legislator⁶³, si vero tempus impatiens sit morae, oportet « secundum verba legis agere »⁶⁴, nisi aliunde excusatio habeatur, utpote si lex evadat evidenter nociva vel nimis onerosa, quia tunc « malum est sequi legem positam, bonum est autem, praetermissis verbis legis, sequi id quod poscit iustitiae ratio et communis utilitas », nam sequi verba legis contra bonum commune vitiosum esset. Vides quam diverso modo S. Thomas iudicat rationes ob quas a littera legis recedendum et diverso probabilistae ! Pro S. Thoma lex est beneficium, medium ad finem, ad finem autem movere superioris est, subditi autem est subdi. Subditi non est supra legislatorem extolli, sed etiam in legis interpretatione legislatori subdi. Verae rationes a lege excusantes a S. Thoma desumuntur ex natura rei, ex bono communi, ob quod leges latae sunt.

Excusatne incertitudo legis utpote invincibiliter ignoratae ? Saepius iam ignorantiam simul cum dubio tractavimus, nam appellare ad ignorantiam vel ad dubium (ut iugum legis abiiciatur) quoad vim obligativam legis idem est, quamvis dubium et ignorantia differant. Si igitur aliquis appellet ad ignorantiam invincibilem, hoc potest accidere post factum, quia ante transgressionem legis ignorantia vinci potest et debet, si nempe subditus conscius fiat vel dubitet legem existere. Sed admissio hic agi vere de ignorantia invincibili, nihilominus dicendum etiam ignorantiam antecedentem et invincibilem per accidens non omnino excusare,

⁶² Ibidem ad 2.

⁶³ II-II, q. 120, a. 1 ad 3.

⁶⁴ I-II, q. 96, a. 6 ad 2.

si nempe non est totalis, sed partialis. Item si ignorantia est invincibilis et concomitans, ipse tamen operans internum affectum ad peccatum retinet, ergo nec talis excusat totaliter ipsum operantem. Multo magis clarum est effectum ignorantiae posse esse imputabilem saltem externe. – Verum quidem est ignorantiam invincibilem excusare a peccato formali, at non excusat a peccato materiali, prout diximus supra, cum et materiale peccatum ordinem obiectivum moralem offendere posuerimus. – Si bene attendatur, recursu ad ignorantiam invincibilem relinquitur ipsa quaestio, quae solvenda proponebatur, quia ignorantia invincibilis est completa absentia dubii, semel autem ac dubium oritur, iam ipsa ignorantia transit in vincibilem, unde et hic dicendum foret : lex invincibiliter ignorata pro subiecto est ac si non existeret, tamen vario modo nexus cum voluntario verificari potest, sicut diximus ⁶⁵.

Excusatne ignorantia legis, cum lex ignorata nequeat ligare ? Hanc rationem probabilistae urgent tamquam decisivam. Et provocant ad textum S. Thomae, nempe ad textum de Veritate, q. 17, a. 3. Multi quidem hodie iam concedunt ipsum S. Alphonsum nimia securitate ex hoc textu conclusisse ad modum probabilisticum solvendi dubium practicum conscientiae, nam aliter iudicandum hac de re sub aspectu psychologico, aliter sub aspectu morali, aliter iuridico. Haec bene attendenda sunt ⁶⁶.

Loquitur itaque S. Thomas in hoc textu de motione voluntatis proveniente ab imperio gubernantis. Imperium gubernantis ligat subditum, sicut corpus variis ligaminibus ligari potest. Corpus a corpore, ligamine, trahi nequit sine contactu, unde nec imperium gubernantis movere potest voluntatem subditi sine contactu imperii seu sine contactu voluntatis gubernantis cum voluntate subditi. Hic contactus fit per intimationem imperii ex parte gubernantis et per eiusdem cognitionem seu scientiam ex parte subditi. Nullus ergo subditus ligari potest praecepto vel lege nisi mediante scientia.

Hoc est factum evidens, psychologicè fundatum in lege dependentiae voluntatis ab intellectu, prout volitio supponit et sequitur cognitionem. Attendendum tamen, quod semel ac lex rite promulgata fuit, applicata fuit subditis, unde legislator supponit legem notam et transgressionem legis punit. Ergo etiam in foro legis positivi legitimus modus promulgandi legem valet ac eiusdem applicatio ad subditos. Inutile est, ut nec pro foro externo probabilistae clament : « legem non cognitam non obligare »;

⁶⁵ II-II, q. 53, a. 2 ad 2 ; cfr. MERKELBACH : op. cit. I, num. 466.

⁶⁶ REGATILLO-ZALBA : op. cit. num. 269, nota 98.

illa obligat saltem quoad effectus, dicamus quoad poenam pro transgressione eiusdem.

Sub aspectu morali obligatio aliunde exurgere potest. In textu S. Thomae hic aspectus moralis clarissime est in lucem positus. Dicit namque Angelicus : « Nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum *nisi quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur* ». Non igitur in moralibus sufficit dicere legem ignotam non obligare, ignotam simpliciter vel partialiter, prout fit in dubio, sed videndum est, utrum subditus potuerit et debuerit legem scire, et quatenus potuit et debuit, eatenus ligatur, inde et responsabilis consideratur. Varii namque affectus possunt seducere mentem, et mens dicere potest exemplo Cain : « Nescio », dum tamen optime sciebat de sorte fratris sui. Finis legis est ligare, lex est ligamen, et effectus quem lex producit, est ordo. Sive igitur ligamen abiiciatur ratione dubii sive ratione ignorantiae, eodem modo finis non obtinetur, deordinatio introducitur. Omnis transgressio legis, etiam materialis, est deordinatio in rerum natura. Sive autem ignoranter dubites de incoptione legis sive de terminatione eiusdem, idem est, nam possibile est culpabiliter ignorare tam incoptionem legis quam eiusdem terminationem. Haec autem culpabilitas, in qua includitur voluntarietas, moralistam interest, nam per hoc actio ad ordinem moralem transit.

Ex dictis sequitur secundum principia S. Thomae de probabilismo non aliter iudicandum quam de aliis systematibus, immo severius. Nemo appellare potest ad probabilismum, ut excusatus maneat a transgressione legis positivae, quia lex rite promulgata est simul legitime applicata, urgere incipit. Formula probabilistica evidenter ex foro iuris positivi desumpta, nec pro eodem foro excusat, multo minus pro foro morali, nisi vere fuerit ignorantia inculpabilis tum in se tum in causa. Forum iuris naturalis et divini est superius, altius, intimius, extensius, nec ius positivum illi derogare potest. Quae autem ignorantia legis moralis naturalis praesupponi potest, hoc alibi docetur. Nihil ergo a probabilismo utilitatis accepimus. Ordo moralis non restringitur ad ordinem iuris positivi nec ad forum externum, sed comprehendit per prius forum internum. Nec ordo moralis in hoc consistit, ut solum sciamus limites peccati, sed per prius ordo moralis consistit in continua tendentia ad Deum ; per leges et consilia, per praxim vitae christianae, per fervorem caritatis, semper ergo viribus positive adhibendis ad Deum intendit appropinquare. Probabilismus docet modum legem abiiciendi,

unde eius formula a iure positivo desumpta incapax est ut certitudinem homini praebeat talem, ut hic « in quolibet casu et in qualibet materia » certitudinem necessariam et sufficientem acquirere possit ⁶⁷. Non licet ergo neque in foro iuris positivi appellare ad dubium nisi legislator ipse hoc praeviderit (can. 15). Pro ordine morali formula probabilistica non lumen, sed tenebras repraesentat, et moralista incipere debet, ubi probabilista desiit, quia moralista oportet sciat dispositionem subiecti, voluntarietatem, culpabilitatem eiusdem in appellando ad nescientiam, ignorantiam vel dubium, ne concludere forsitan debeat : « Noluit intelligere ut bene ageret » (Ps. 35, 4).

Conclusio

Tota doctrina S. Thomae quoad systemata moralia videtur nobis compendiose data in quodl. VIII, art. 13. Attente perlegatur parvus hic articulus et multa invenientur, praesertim si comparetur cum Quodl. IX, art. 15. Docemur ante omnia, ut iurista non invadat campum moralistae, et omnis actio humana, etiam in campo iuris positivi ordini morali subiecta sit. Cum opinione vel dubitatione agere dicit idem esse ac velle seu sese exponere peccato. Status dubii est status indeterminationis, a quo homo liberari debet certitudine accepta. Formido errandi, dubium fundatum deponi debent. Peccare solum materialiter, ex conscientia inculpabiliter erronea, nihilominus significat peccare ex parte obiecti, quia peccatum quoque materiale inducit deordinationem in universo, cum sit contra naturam obiectivam, contra legem in se consideratam. Quodnam medium solvendi dubium pro ordine morali ? Rationes sufficientes, recta intentio – en excusationes pro homine, ut exponatur transgressionem legis, ut legem transgrediatur, ut peccato exponatur. Acquisitio certitudinis, solutio dubii petitur in foro interno, coram Deo, et resolvitur in invisibilem partem animae, ad « mores », non solum ad « mentem ».

Proinde immerito S. Thomas tamquam fautor alicuius systematis vocatur, cum omnia systemata ut talia respuerit. Principia iuris, S. Thomae optime nota, non permisit in ordinem moralem transferre, ut in ordine morali, seu in conscientia et coram Deo, talia principia iuris momentum habeant decernendi quidquam. Quaestio de solvendo dubio practico est quaestio primo et per se ordinis moralis, unde pariter primo et per se criteriis moralibus est solvenda, non formula fixa, sed prudentia, quae est sapientia vitae.

⁶⁷ FANFANI OP : Theologia moralis, vol. I, num. 229.